



19  
Q. D. B. V. 1771 15 27.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE 6

# IMPERATORIIS RESERVATIS,

Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
*SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO*  
DN.

DN. FRIDERICO WIL-  
HELMO,

REGNI BORUSSICI, ELECTORATUS BRANDENB.  
AC PROVINCIARUM HEREDE &c.&c.

IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E

DN. JACOBO BRUNNEMANNO

Jurium Licentiato,

D. XI. Mart. MDCCI. H. L. Q. C.

Eruditorum disquisitioni subicit

RUDOLPHUS AUGUSTUS de LAUTENSACK,  
Eques Brunsvicensis.

*HALÆ*, typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.



O. P. V.  
DISSERTATIO JURIDICA  
DE

IMPERATORIS  
RESERVATIS

Quam  
RECTOR MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO


DR. FRIDERICO WIL-  
HELMO


REGNI BORUSSICI ELECTORATUS BRANDEN-  
BURGICAE PRINCIPALIS ACADEMIAE  
IN ILLUSTRI ACADÉMIA TRIDERICIANA  
PRÆSIDE

DR. JACOBO BRUNNEMANNO

Junium Licentiatum  
D. XI. MAI. MDCCCL. I. O. C.  
Erditorum distributioni Inspector  
RUDOLPHUS AUGUSTUS DE LAUTENSACK,  
Pudice Præfidentis

WILHELMUS CHRISTOPH. ANDR. ZEITLER, AUCTOR, Typogr.





## COROLLARIA.

### I.

**F**alsum est commune Brocardicum: *Principes possunt tantum in suis Provinciis, quantum Imperator in Imperio.*

Nam illi longe majori potestate, sub titulo superioritatis Territorialis, gaudent in provinciis suis, quam ut dici possit, ipsos non majori potestate in iis pollere, quam Imperatorem in Imperio.

### II.

Non minus lubricum est in Jure publico commune axioma: *Quod non mutatum est, cur stare prohibeamur?* Tempora mutant statum, omnis status vero est qualitas secundum quam jus variat. Inprimis vero multa, circa reservata Imperatoris jura in Imperio, mutavit genius temporum post Instrumentum pacis Westphalicæ.

### III.

Cruda nimis est illa regula: *Cujus est regio, illius etiam est religio.* Oportandum igitur fuisset, ut Protestantæ Scriptores illa abstinuissent circa initia reformationis.

### IV.

Judæos recipiendi ac tolerandi jure hodie quilibet Statuum fruitur; olim vero solis Electoribus, vigore *A. Bullæ cap. 9. §. 2.* hoc jus competiit. Ceterum hodie non aliquid videtur amplius in recessu habere, quando Judæi *Römischer Käyserl. Majestät Cammer-Knechte* in nonnullis legibus vocantur. Nam Judæi in Statuum Provinciis nil amplius contribuunt Imperatoris fisco vel *Camera.*

### V. Quæ.

## V.

Quænam leges divinæ Veteris Testamenti ad morales pertineant; anceps disputatio est, cum in character harum legum non conveniant communiter. Dici poter, nullam legem pœnalem V. T. esse moralem, quatenus certam pœnam complectitur. Delicta enim illa, ex quibus non turbatio oritur Reipublicæ, Deus ipse ad puniendum sibi videtur reservasse, quæ vero statum publicum turbant, illa Princeps citra respectum ad pœnam V. Testamenti, pro indole & genio populi sui punire potest.

## VI.

Principes Protestantes Germaniæ, cum nullum Judicem in causis matrimonialibus habeant, recte possunt has causas ventilandas curare coram propriis Consistoriis, & in hoc casu ex jure divino morali & naturali norma decisionum haurienda erit.

## VII.

Non pertinet ad Imperatoris reservata jura, ut Jura Romana & a Justiniano interpolata in Statuum territorii vigeant. In Principum enim arbitrio est, in suis provinciis, ob superioritatem territorialem, jura Civilia & Canonica, quando consultum iis visum fuerit, plane abrogare, & nova substituere. Libere enim recepta sunt, libere possunt iterum abrogari.





## DISSERTATIO V.

De

## IMPERATORIIS RESERVATIS.

## SUMMARIÄ.

- D**ifficultas materia de Reservatis Imperatoriis. Nonnullorum circa illam imperitia & adulatio. §. 1.  
 Cautio necessaria in explicatione hujus doctrine, ne Reservata Imperatoris & superioritas Statuum territorialis temere opponantur. §. 2.  
 Insufficiencia Brocardicorum nonnullorum, quæ vulgo ad explicationem horum jurium afferuntur. §. 3.  
 Reservata hæc Legibus publicis non sunt recensita, & quare ad instantiam aliorum Ministri Cesaris illa specificare noluerint. §. 4.  
 An Reservatum Imperatoris sit jus primarium precum? §. 5. Elector Brandenburg. gaudet hoc in suis Capitulis Masculinis & Electrix in cenobitis femininis. ibid.  
 An jus Academiæ erigendi? §. 6. Pontifex idem olim sibi vindicavit ibid. quare Status Privilegia adhuc impetrent à Cesare? ibid.  
 Inter Reservata Cesaris vulgo numeratur jus creandi Reges, Principes &c. Epicrists. §. 7.  
 Quid ex jure Naturæ & Gentium statum, hodierno hic observandum sit. §. 8.  
 Exempla vetusta Regum ita creatorum perpenduntur. §. 9.  
 Fürstenerii philosophia in hac causa expenditur, monium ex regulis prudentiæ adjicitur. §. 10.  
 Jus nobilitandi Statibus asseritur cum Dn. Coccejo. §. 11.  
 Jus Civitates condendi non potest ad Reservatum Imperatoris referri §. 12.

N

Jus

*Jus Postarum Post-Regal quatenus inter Reservata Imperatoris connumerandum sit. §. 13.*

*An Reservatum sit cognitio de feudis Statuum vacantibus §. 14.*

*Legationes nomine Imperii mittenda & recipienda non ad solum Imperatorem spectant, nec reservatum sunt. §. 15.*

*Cognitio Imperatoris de Statuum praecedentia, non apte ad Reservata refertur, cum illud non exerceat, & dubium sit, an exercere possit? §. 16.*

*Jus ultima provocationis Statuum subditorum ad Imperatorem, hodie restrictum, nec commode ad reservata refertur. §. 17.*

*Confirmatio tutelarum Illustrium, venia Impetratio, legitimatio, an reservata? §. 18.*

*Minutiora jura qua Imperator exercet per Comites Palatinos. §. 19.*

*Statuum patientia circa hos unde? ibid. Observ. de Notariorum filio. ibidem.*

*Jura famae restituenda, largiendi exteris facultate conscribendorum militum in Statuum territorii &c. exploduntur, quia impingunt in superioritatem territorialem. §. 20.*

*Jus proponendi in Comitibus non est reservatum, sed competit Imperatori tanquam Capiti. §. 21.*

*Connexio cum seq. disj. §. 22.*

## §. I.



X delicatioribus Jurispublici materiis praecipua fere est, qua de Reservatis Imperatoris agit: dum ex una parte Caesaris praeminentia; ex altera vero, sublimis & excelsa Superioritas Statuum territorialis, caput extollunt. Qui ad unum horum scopulorum impingit, apud Cordatos rerum politicarum aestimatores, vel adulationis suspicionem incurret; aut si ex bona fide scripserit, imperitiam tamen status Imperii Germanici prodet. Utriusque hujus vitii autem postulantur a plerisque rei Reinkingius & Stamlerus Panegyristae Reservatorum Imperatoriorum. Non obscura certe indicia favoris imo potius adulationis prostant in utroque, ut adeo non inspidendum, (uti alias solet esse,) sit judicium Pacifici a Lapide *infr. flur. ad Monzamb. P. 1. Disc. 10. §. 15.* quando existimat, *Stamlerum cum*

Reim-



DE IMPERATORII RESERVATIS 87

*Reinkingio suo nimio affectu in Imperatorem abreptos, plura ipsi soli adscribere, quam ille forsitan sibi poscat, postere possit, aut etiam debeat.* Interim jure dubitaveris, an affectus adulationis speciem præ se ferens manifestior fuerit inscitia genuinorum principiorum Jurisprudentiæ publicæ. Hoc certum est, nil frequentius apud hosce occurrere, quam ut hoc vel illud reservatum Imperatorum lubrico legum Romanarum fundamento superstruant. Nil unquam in Códice legerunt, quod hoc vel illud jus pertineat ad Imperatores Græcos, simul ac applicarunt hoc ad Imperatores Germaniæ ejusque statum publicum, licet ille, quo ad formam regiminis, tantum distet ab Imperio Græcorum Constantinopolitano, quantum cælum, licet Empyræum sit, a terra. Inde non est mirum, hos & similes fosciculos deprehendi: Imperium est solius Imperatoris ac quasi in ejus marsupio, vid. *Stamler. de Reserv. Imper. p. 153.*

§. II. Quanto satius itaque est, in hac doctrina de reservatis ita versari, ut comparatis juribus veteribus Imperatorum cum statu moderno, neq; præ eminentiæ Imperatoris, neque juribus Majestaticis Statuum jure proprio possessis minimum detrahatur. Regalia jura omnia quæ ad Civitatis conservationem necessaria possident Status jure proprio. Ergo dici posset, etiam illa minuta jura quæ sub nomine Reservatorum exercet Imperator in ipsorum territoriis, ad illos spectare. Et quis tandem hoc valde in dubium vocare posset, postquam celeberrimi scriptores pleraque horum reservatorum Statibus vindicaverunt. Jus erigendi *Academias* Principibus nostris competere, Dn. Rhetius *Diss. de Jur. Stat. circa sacra cap. 3. f. Jus nobiles erigendi*, Dn. Coccejus *pecul. Diss. folide* iis asserunt. Alii, inprimis Dn. Schyvederus, pleraque jura reservata Statibus adscribunt. Imo cum in Instrum. Pac. Galli & Svevi Cæsareanosurgerent, ut numerum & catalogum horum Reservatorum ederent, illi hoc declinarunt, quod miratur & subjungit elegans judicium *Itterg de Grad. Academ. Cap. 6. §. 3. p. 99. seqq.* Ergo de Reservatis juribus sic statuendum esse duco. Reservata sunt certa Jura Cæsari, quæ ille exercet in territoriis Statuum hinc volentibus, & non refragantibus, imo & petentibus interdum. Fit hoc a Statibus ex reverentia & recordatione pristinorum temporum,

& quod aliquale schema & vinculum superesse velint, unde figura unius Reipubl. appareat. Ubi nunc indoles rerum civilium svadet, ut Imperatores civilitatem Principū humanitate compensent, & ea quæ honoris & commoditatis gratia ab ipso petuntur, Statibus petentibus, maxime potentioribus, non denegent. Nam & idem postulat lex humanitatis, ut iis, qui majorem reverentiam & obsequium strictius debent, minor, qui minorem, major humanitas exhibeatur. Unde patet, omnia hæcce reservata sine oppositione Jurium Statibus competentium, tali temperamento explicari posse, imo ex usu rerum præsentium explicari debere, add. Dn. Thomasi *Disp. de injust. oppos. Jur. Stat. & Reserv. Imp.*

§. III. Consulto igitur hic abstinemus a regulis, quas ad explicationem Reservatorum Imperatoriorum communiter formant. Tales sunt: *Cæsarem a nullo majestatis jure excludi; In quibusdam vero eum solum habere arbitrium.* vid. Boecler. *Not. Imp. l. 4. c. 1. n. 4.* Schweder. *P. spec. sect. 1. c. 4. §. 1.* It. axioma Lampadii & Itteri: *Omnia imperandi jura esse Cæsaris propria in quorum communionem Ordines per leges publicas non sint assumti.* &c. Laudat talia axiomata Kulpisius *ad Monzamban. p. 180.* Nobis vero non videntur rem exhaurire, sed ambigua & dubia esse, imo ex parte etiam falsa hypothefi niti, nempe Reges Germaniæ *admississe Ordines in consortium;* cum potius illud invertendum sit, quod ab Ordinibus illi sint recepti. Quicquid enim de statu Germaniæ sit tempore Carolingorum, tamen hæc stirpe in Germania extincta, illa libera Conrado Imperatori obtulit potius feuda sua, quam ab eo accepit. Inde conditio inæqualis fœderis arcessenda est.

§. IV. Propius vero nunc accedamus ad Reservata Imperatoris singula excutienda. Sequemur vero ordinem quo vulgo utuntur Publiciste. Nam, ut modo adductum est, legibus publicis non est recensitus aut definitus, nec ausi sunt Legati Cæsarei ad provocationem pacifcentium eum definire, haud dubie, ne paucitas eorum in oculos incurreret, & quia expedire judicabatur, rem sub vulgari & ampla opinione plerorumque intactam relinquere.

§. V. Primo loco semet sifit *Jus primariarum precum*, vi  
 ejus per univcrsum Imperium in quolibet Capitulo vel Cœ-  
 nobio, immediato & mediato, semel unam personam, sed se-  
 cundam naturam beneficii idoneam, in mensibus tam papalibus  
 quam Capitularibus vacans, immediate vel mediate repræ-  
 sentat ita, ut præcista omnibus sit præferendus. vid. Dn. Frit-  
 schii *Dissert. de Primar. Prec.* Descendit hoc jus revera ex Maje-  
 statis Civilis jure circa sacra, quod ad Henricum V. usque ha-  
 buerunt Imperatores nostri, aut Pontificum Romanorum im-  
 potenti dominatione in sacris tenues hæc reliquæ Imperatori-  
 bus remanserunt, quas insuper, accedente temporum super-  
 stitione, tanquam privilegium Pontificis considerarunt. *An*  
*vero hodie Imperator hoc jure primariarum precum utatur in toto Im-*  
*perio & in primis in Ecclesiis Protestantium?* merito quaritur. Negat  
 hoc Willerus Assessor Camera in Consilio super casu *cursu Im-*  
*perator in Capitulo Colbergensi hoc ipsum jus exercere intendere*, con-  
 scripto apud Schwann. *Decis. Camer. 8.* & Stephan. *de Ju-*  
*risd. lib. 3. p. 1. c. 4. n. 21.* Verum hæc scribebantur ante Instru-  
 mentum Pacis Westphalicum. In hoc vero *Artic. V. §. 26.* cau-  
 tum est, quod Cæsarea Majestas, in quibuscunque foundationibus  
 mediatis 1624. die 1. Jan. hoc jus exercuit, exercere debeat etiã  
 in posterum. conf. Burgold. *ad Instr. P. p. 2. D. 11. membr. 2.* Unde  
 patet, Imperatoris jus non esse integrum hodie per totum Im-  
 perium, sed tantum in illis locis, ubi in possessione fuit ante so-  
 lennem terminum 1. Jan. 1624. Sic speciatim Sereniss. ac Po-  
 tentiss. Electorem Brandenburgicum in Ecclesiis Cathedrali-  
 bus & Collegiatis sui territorii hoc jus exercere, testatur Illustr.  
 Dn. de Rhetz. *Instit. Jur. publ. lib. 1. tit. 16. §. 8.* Ill. Dn. Stryk *de Ju-*  
*re Papali Princ. Evangel. Cap. 4. §. 5.* Limnæus *de Jur. P. in Addit.*  
*L. 1. c. 9.* Schepfliz *ad Consuet. March. p. 1. t. 1. §. 2. n. 4. sequ.* Hinc  
 cum Serenissimæ Electrici Brandenburgicæ hoc jus denega-  
 retur in femininis foundationibus, legatus Brandenburgicus  
 Ratisbonnæ de super gravem querelam instituit, cujus memo-  
 riale exhibet Dn. Schilt. *de Libert. Eccles. Germ. in Addit.*

§. VI. Jus *Academiis sive Universitatibus Studiorum*, ubi IV.  
 Facultates, quas vocant, florent, confirmandi, soli compete-  
 re Imperatori, tanquam reservatum, plerorumque calculo

adprobatur. Uti vero Pontifices Romani multa jura Imperatorum, quæ ipsis in Imperium olim comperebant, ad se pertraxerunt, ita & hoc Academiis confirmandi jus sibi vindicare studuerunt, & exercuerunt etiam ob nimiam pietatem seculi erga Sedem Romanam. Inde factum est, ut Status Imperii novas Academiis condituri, olim magis solliciti essent de concessione & privilegio Pontificis, quam Imperatoris. Exemplo potest esse nostra Halensis Fridericiana. Hanc urbem jam ante duo fere secula Marchio Brandenburgicus Albertus, Magdeburgensis Præsul, Academiæ erigendæ destinaverat, de super impetrato Privilegio Pontificis, quod integrum legitur in *Historia Inaugurationis Academia Fridericiana* a Celeberrimo Dn. Christoph. Cellario sacris auspiciis edita. conf. etiam Illustr. Dn. Strykii *laud. Diss. de Jure Papali Princip. Evangel. in fin.* Sane qui Hierarchiam Papalem paulo attentius considerat, fatebitur graves causas habuisse Papam, ut sibi hoc jus confirmandi vindicaret. Academiæ enim erant primariæ columnæ superstitionis Papalis, unde deceptio in totum mundum propagabatur. Ergo Papa debebat curam gerere. Verum hodie Pontifici non competere amplius hoc jus, apud Protestantés in confesso est. Imo & Status posse propria auctoritate Academiis erigere, cordatiores Publicistarum fatentur cum illustri Dn. Rhetio *Diss. de Jur. Stat. circa Sacra Cap. 3. inf. Conf. Dn. Thomasi Cogn. mensr. d. 1688. p. 556. & ad Monzamb. c. 5. §. 28. l. a. p. 303.* Ut adeo illorum opinio qui existimant cum Bœclero *Not. Imp. l. 23. c. 1.* institutas a Statibus Academiis, sine auspiciis Imperatoriis, jus, mensuram & nomen Universitatum implere non posse; magis credulitate quam justis rationibus niti videatur. Interim svadet prudentia, inveteratæ huic opinioni aliquid indulgere, & majoris commoditatis gratia privilegia Imperatoria impetrare, uti & in novissimis foundationibus hoc factum esse meminimus.

§. VII. Succedit Jus Imperatoris, quod sibi circa augendas & concedendas dignitates ornandosque titulos reservasse fertur. Atque huc referunt jus creandi Reges, Archiduces, Duces, Principes, Landgravios, Marchiones, Comites, Barones &c. Videas hodie tam secure a plerisque scriptori-

ptoribus Juris Publici adducere, ac si omnia cum usu hodierno, moribus gentium, genio seculi amice conspirarent. Decepit haud dubie plerosque, qui exemplis quam rationibus malunt pugnare, quod legerint in annalibus vetustiorum temporum, hunc vel illum Regem creatum esse ab Imperatore, quod & Dn. Schvvederum *Jur. publ. part. spe. sect. 1. c. 7.* haud dubie abripuit. Confer etiam Vitriarium *Jur. Publ. l. 1 tit. 8.* Verum, si hodiernorum temporum genium accuratius pensitemus, non videtur, quod huic sententiæ subscribendum sit. Quod si enim quis illud jus trutinæ experientiæ ususque hodierni subjiciat, haud dubie deprehensus est, præsentem hoc jus Imperatoris, neque in Jure Naturali aut Gentium fundari, neque exemplis illis evinci; ab eoque recedere genium seculi præsentis.

§. VIII. Meretur vero occasione Reservatorum Imperatoriorum isthæc res, ut plenius illustretur. Equidem quod jus Naturæ & Gentium atinet, puto ex regulis ejusdem manifestum esse, quod ad titulum Regium & Insignia seu quaecunque nomen, quo summa & independens in Civitatem potestas uni homini inhærens exprimitur, nil requiratur, quam liberum territorium quod satis virium alit, non solum Domi subditos manu militari regendi; sed & exercitum extra fines Regni duccendi, armis, tæderibus, legationibus, Gvarantiis aliquid momenti ad Rerum Europæ Generalium Summam conferendi, Hinc *la Souverainité de Neuf-Castel de MS. de Longeville, la Souverainité de Dombes, la Souverainité de Sedan, la Souverainité de Bisdache, Respublicam S. Marini in Italia, Furstenerius p. 43. a Suprematu*, multo magis a mensura veri justique Regni excludit.

§. IX. Qui autem exemplis Regum corona cinctorum ab Imperatoribus nituntur, illi oppido svaves sunt, nec distinguunt diversa tempora. Multa mediæ ævi, aut temporum duo ultima secula præcedentium simplicitas, superstitionis mater, admisit, quæ hodie prudentia & politica damnat. Infit illa vetusque persuasio, totam Christianitatem unum corpus Reipublicæ efficere, ubi Imperator esset caput temporale, fons omnium dignitatum, in causa fuit, ut Principes ob majorem splendor

splendorem putatitium assumerint titulum regium ab Imperatore, sed nam propterea jus excuspendum est, quod Imperator possideat instar reservati? Etiam Pontifices Reges Croatiae & Dalmatiae crearunt, Hiberniam in Regnum evexerunt, conf. Diplomata apud Baron. *Tom. XI. Annal. p. 484. & Tom. XII. ad an. 1130. & 1139. & eodem Tom. ad an. 1191. & 1179* Igitur & reservatum Papale admittendum est, si exemplis stare volumus & non rationibus.

§. X. Fateor hinc lubenter, lubricum argumentandi genus elegisse Furfenerium, quando Cap. XXXII. p. 147. postquam mentionem iniecit Regum ab Imperatoribus creatorum, subjicit: *Ex quibus intelligi potest, aliquam Caesari in toto Christiano orbe jurisdictionem esse, rectius: fuisse.* Nam illae nebulae dispersae sunt, orta inter alia etiam luce politica, sub Reformatione Evangelica. Non videtur propterea Hippolythus a Lapide praeter rem notare veterum imprudentiam, quod summam potestatem habentes, ab Imperatore vel Pontifice Reges salutari voluerint. *de Rat. Stat. Germ. Part. 1. c. 16.* ad quem locum, quae Schlueterus ejus antagonista movet, extra quaestionem sunt, & ad rem nil faciunt. Interim hoc fatemur lubentes, Imperatorem esse Principem primarium Christiani Orbis, & hoc intuitu Caput vocari posse, ratione scilicet dignitatis non potestatis. Quando hic praeterea agnoscendo alicujus Characterem & insignibus, quae Deus & liberum territorium Domino suo largiuntur, tunc certe ex regulis politicae & prudentiae augurari licet, reliquos Principes omnes vestigia ejus pressuros esse. Sic Neomagi, in solenni illo confluxu politicorum, Galli profitebantur, quod Caesaris exemplum in ceremonialibus ratione Legatorum essent secuturi. conf. Furfenerius *de Suprematu p. 14.* Cum igitur exteri potentesque Reges ac Principes promptos paratosque sese declarent exemplum Imperatoris sequi; quanto magis ab Ordinibus & Statibus Imperii hoc exigit ac postulat tum autoritas Sacrae Caesareae Majestatis, tum & vinculum ordo & nexus, quo obstricti vivunt Imperatori, tanquam Capiti suo, reliqua membra ac Status. Accedit, quod splendor & gloria Coronae, quando illa membrum Imperii aliquod a Deo

Deo & libero populo suo ornatur, redundet etiam suo modo in reliquum Corpus, cujus membrum, quo ad reliquas Provincias Imperio unitas, non definit esse talis Rex noviter coronatus, sed potius splendorem Imperii auget, dignitatem lapsam & imminutam reparat, & eo magis antam nanciscitur, vires ac robur Regni reliquarumque Provinciarum impendendi ad procurandam & conservandam salutem Imperii illius, quod tum appellatione, tum & dignitate aliquid eximium habet præ omnibus Regnis Europæ. Tantum igitur abest, ut præjudicium Imperio ex tali actu oriri possit, ut potius eidem gratulandum sit de nova dignitate, qua unum ex membris ejus primariis, auctum est, de qua non potest non simul etiam participare.

§. XI. Reliquos titulos uti Ducum, Principum &c. Imperatorem largiri posse, libenter admittimus. De *Jure Nobilitandi* illud notari meretur, quod haud pauci sunt ex doctissimorum scriptorum numero, qui negant, jus hoc reservatum esse Imperatoris, sed omnibus Statibus competere. Conf. Dn. Cocceji *Diss. de Potestat. Statuum Imper. circa dignitat. Cap. 3.* ubi solide hoc deducit. Nec obstat, quod nonnulli Status v. c. Archidux Austriae, per Privilegia hoc Jus exerceant. Nam data illa fuere vel majoris cautionis aut splendoris ergo, vel quia privilegio illo plus continetur, scilicet jus creandi non solum nobiles, sed & Comites & Barones. Nec potest impetratio talis privilegii aliis obesse. Dn. Coccejus *l. c. §. 20.* Denique ex mera permissione jus hoc creandi nobiles proficisci, satis patet ex circumscriptione Sereniss. Elect. Brandenburgici, incujus terris subditus Nobilitatus ab Imperatore non agnoscitur, nisi prius causas in Aula indicaverit, & sic consensum impetraverit ad petendam illam dignitatem. vid. Kulpis *ad Monzamb. c. 5. §. 27.*

§. XII. *Jus civitates condendi in Imperio* nemo non veterum Publicistarum Imperatori adscribit. Prudentiores tamen hodie aliter sentiunt. Sic Dn. Schvvederus *Jur. Publ. Part. Spec. Sect. I. c. 18. §. 3.* expresse hoc jus vindicat superioritati territoriali Statuum. Imo res ex rationibus & exemplis adeo clare potest evinci, ut illi qui hæc non capiunt, præjudiciis veterum plane immergi videantur. Exempla urbium propriis

priis auspiciis conditarum attulit Schwvederus *loc. cit.* Quibus addere possumus tot urbes in terris Brandenburgicis recenter conditas, quales sunt *Pozdam/ Dorotheen-Stadt/ Oranienburg/ Friederichs Werder/ Friederichs-Stadt.* Sic 1672. fundavit Rex Sveciæ, in Bremensi agro, *Carolstadtum.* In favorem Gallorum Reformatæ religionis, Privilegia Civitati *Erlangia* indulgit Sereniss. Marchio Brandenburg. Christianus Ernestus. Nil ibi auditum fuit, cum conderentur, de confirmatione Imperatoria, quam impetrare genius seculi non amplius admittit. Ante paucos annos Serenissima Princeps Anhaltina, ex Domo Auriaca oriunda, Henrica Catharina, vicum *Oranien-Baum* jure Civitatis donavit, sine alterius interventu aut auspiciis, vid. *Diplomata hujus rei adductum in Dn. Thomasi Diff. de Jure Stat. Imper. danda Civit. §. 43.* Prohibitiones vero quæ adducuntur Comitibus Wertheimensibus, Mansfeldicis & aliis factæ, pertinent ad illa tempora, in quibus nesciverunt Status sua jura superioritatis.

§. XIII. Connexum cum jure Urbium condendarum videtur esse *Jus Postarum* das *Post-Regal*/ quod an Statibus; an Imperatori vindicandum sit, acriter disceptari solet. Esse illud consequens superioritatis territorialis, atque exinde Statibus hoc jus tribui debere, minime vero ad reservata Imperatoria pertinere, pluribus demonstrare annixus est ille, qui sub Emerani Accoldi schemate latere voluit, *Im gründlichen Unterricht von dem aus Landes-Fürstlicher Hoheit her springenden Post-Regal der Chur-Fürsten und Fürsten des H. Röm. Reichs/ Capit. II.* conferantur etiam literæ Statuum inferioris Saxonix, jus Postarum concernentes, apud Dn. Fritschium *Elect. Jur. Publ. p. 2. c. 11. n. 4.* Accedit, quod pro hac sententia militet ipse usus rerum præsentium, dum in terris Saxonis, Brandenburgicis & aliorum, rarior aut nullus usus Postarum a Cæsarea Majestate pendendum. Interim negari non potest, non ante longum tempus hoc jus publico diplomate literas & res transmittendi, sive Postas, unice exercuisse Imperatorem in Statuum territoriiis. Illasum etiam mansit exercitium hoc usque ad tempora Pacis Westphalicæ. Circa hæc Status nonnulli potentiores, considerantes incommoda circa jus belli & Pacis.



Pacis, indeque fluentes correspondentias, vel commercium literarum, item Commerciorum in suis terris instituendorum florem pendere ab accurata cursuum publicorum institutione, ansam inde arripuerunt ejusmodi Postas instituendi. Primus fuit Sereniss. ac Potentiss. Elector Brandenburgicus FRIDERICUS WILHELMUS M. qui 1678. suis in Provinciis Postas ordinavit, quem, re ex voto succedente, insecuti sunt alii. Verum præter hæc, Cursuum Cæsareæ Majestatis per Imperium magna est autoritas & usus, quod inter alia patet ex *Capitul. Josephi* §. 34. Nicht weniger wollen Wir den General-Erb-Reichs-Postmeister dahin halten / daß Er seine Posten mit aller Nothdurfft wohl versehen. Promittit etiam futurus Imperator in eodem hoc Articulo, quod Postas Imperiales conservare velit. Verba ita sese habent; Wir sollen und wollen aber zu gänglicher Aufhebung deren zwischen Unsern Post-Meistern bestehenden Differenzen / in erwegung des vom Churfürstlichen Collegio in A. 1641. auf dem Reichs-Tage zu Regensburg/ wegen des Reichs-Post-Ampts eingegebenen Gutachten/ und der in selbten Reichs-Abschied beschehener Verordnung / die beständige Verfügung thun/ daß unser General-Obrist-Reichs-Post-Ampt/ in seinem Esse erhalten/ und zu dessen Schmälerung nichts vorgenommen / verwilliget oder nachgesehen &c. Huc porro pertinet Supremi Postarum Magistri per Imperium officium, das General-Reichs-Post-Meister-Ampt/ de quo investitus est Comes de Taxis Bruxellæ habitans, qui hos cursus dirigit per Subofficiales suos, vid. Hornick. *de Regali Postarum jur. Theor. I. c. 6. n. 5.* qui ibidem simul testatur, Electorem Moguntinum esse Protectorem harum postarum. Cum hoc vero non confundendus est Comes de Paar, qui Postarum officio itidem investitus est, sed tantum quo ad terras Austriacas, Hornick. *cit. loc.* Ad imitationem hujus rei, Status potentiores etiam hodie hereditario jure contulerunt Jus Supremi Postarum Magistri in suis provinciis primariis nonnullis Ministris, quæ dignitas non minus ampla, quam lucrosa est.

§. XIV. Imperatorem, vi juris sibi reservati, *solum posse cognoscere absque Principum Imperii consilio ac judicio de Feudis Regalibus*, plerorumque veterum Publicitarum sententia est, quos  
 O 2  
 longa

longa ferie recenset Schvved. *Jur. Publ. P. Spec. Sect. l. c. 9. §. 11.* Ast non minor numerus asserit; non solum Imperatorem, sed & Pares Curia, sive reliquorum Statuum nonnullos judicare cum ipso debere. Quod de vetustis temporibus omnino asserendum viderur. Tot enim exemplis hoc comprobant B. Conringius in *Diff. de Judiciis Germ. & Dn. Textor Disp. I. ad R. Imp. de 1654. th. 65.* ut hoc negare velle impudentissimum foret. Inde enim descendit *Jus Principum das Fürsten-Recht* / quod adeo extollunt Lehmannus in *Chron. Spir. L. 2. c. 9.* Limnæus *J. P. L. 2. P. 1. c. 9. n. 32.* Dn. Textor *de Rat. Stat. c. 21.* Attamen sicut usus Parium in Curia Statuum & Principum ipsorum in desuetudinem fere abiit, & causæ illæ in ipsorum Curia coram Consiliariis tractantur, ita etiam in ipso Imperio contigit, ut regulariter & ab initio in Senatu Aulico Imperatoris ventilentur, ex causâ tamen etiam in Comitibus, vel alias extra ordinem per Deputatos Cæsareos, vid. Dn. Schilt. *Inst. Jur. P. L. 4. t. 5. §. 4. lter. de Feud. Imp. c. 25. §. 10. add. Ordin. Lud. Au'ic. tit. 2.* Nec illud reum Imperii peritus temere infitiabitur, prudenter facere, Imperatorem, si in adjudicatione feudorum magni momenti, saltem Directorum & Ducum Circuli illius, in quo feudum situm, consilia expetat. add. *Capit. Leopoldi artic. 39. in fin.* Facile enim possunt alias motus oriri, uti novissime in causâ Gustraviensi Mecklenburgica vidimus.

§. XV. Sinomine Imperii *legationes sint mittenda*, aut *illa recipienda*, plerique unicas partes Imperatori tanquam reservatum adscribunt. Ast notum est, quod tunc in Comitibus, de re committenda legato, deliberatio institui soleat, & quod sic ut jus peculiare Imperatoris considerari non possit, quamvis huic ceu Capiti, majoris splendoris ergo, soleant primæ partes assignari. vid. Conring. *de Republ. Rom. Germ. Exerc. 8. th. 93.* Lampad. *de Rep. Rom. Germ. p. 3. c. 20. §. 1.* Idem dicendum est, quando legati exteri ad Imperium mittuntur, tunc enim non a solo Imperatore audiuntur, sed in Comitibus comparere debere, assent Lehmannus *Chron. Spir. L. 7. c. 12. 4.* Hippol. a Lapide *de Rat. Stat. P. 1. Sect. II. c. 14.* Exemplum illustre præbet Ferdinandus III. 1641. Legatum Turcicum ad Imperium missum, ad Comitibus Ratisbonensia remittendo.

§ XVI, Offi.

DE IMPERATORIS RESERVATIS 97

§. XVI. Officium iudicandi circa *Controversias Statuum* ratione *precedentia in Comitibus*, iudem Imperatori integrum esse, haud pauci perhibent. Notum enim est, quantæ sint controversiæ Principum inter se ratione voti, sessionis, *precedentia*. Illustriores lites de hac re sunt inter Comites Palatinos ad Rhenum & Duces Bavaria: omnes Saxonicos Duces cum Palatinis & Bavaris. Marchiones Brandenburgici in Culmbach & Anspach cum Ducibus Saxoniarum & Comitibus Palatinis alternativam quærendo, Duces Pomeraniarum, Mecklenburgenses, Württembergiarum, Hassiarum Landgravii & Marchiones Badenses inter se, Duces Saxo Lauenburgici cum Ducibus Holsatiarum & Principe Mindensi &c. Similiter in *Scanno Ecclesiastico* Magister Ordinis Teutonici cum Episcopo Bambergensi, Magister Ordinis Joannitici in Germania cum Abbate Campidunensi, Elvvangensi, Murbacensi &c. In *Scanno Civitatum, Cöln & Achen, Lubeck & Worms* &c. litigant de *precedentia*, conf. Dn. Schvved. *Jur. Publ. Spec. Sect. I. C. X. §. 13*. Optandum foret, ut Imperator has lites, quæ sæpius harmoniam animorum Germaniarum Statui pernecessariam, turbant, componere posset. Verum experientia testatur, ne unicam controversiam ab Imperatore fuisse compositam, nec rem expediri potuisse, nisi alternativa placuisset, conf. Schvved. *loc. cit.* Rem forti committere litigantibus haud arrisit, licet Imperator hoc remedium proposuerit, vid. Schvved. I. c. Mors, quæ omnia solvit, interdum etiam has diremit lites. Sic extincta linea Altenburgensi controversia illa cum Vinariensi desit, de qua vid. Goldasti *Tr. de Senioratu*. Patet vero ex hisce quid sentiendum sit de hoc reservato Imperatoris.

§. XVII. Referunt etiam huc *ius Ultima Cognitionis & provocationis*, vi cuius a Subditis Statuum in casu protractæ & denegatæ iustitiæ possit provocari ad Imperatorem. Verum cum hoc ius Imperatoris in novissimis Capitulationibus valde sit restrictum per *litteras informativas* & alia, pauca restant etiam hic monenda. Nam quidam gaudent illimitato privilegio de non appellando, vid. Schvved. *J. P. Sect. I. c. XI. §. 2*. Ubi exceptio *denegatæ iustitiæ* frustra hic constituitur, cum casus dabilis vix occurrere possit, conf. Dn. Tit. *Spec. J. P. l. 5. c. 18. 15*. reliqui Status usque ad certam summam habent, ultra quam in processibus

cessibus civilibus provocatio ad Cameram datur. Ubi hoc jus exercetur in Summis Imperii tribunalibus, Schved. *Jur. Publ. P. Spec. Sect. I. C. XI.* Tribunalia vero illa dependent ab Imperatore & Imperio simul, hinc ex spontanea Statuum subjectione hoc fit, de quibus infr. *Diff. XI.* plura dicendi occasio erit.

§. XVIII. Eo etiam referri potest, quod de Confirmatione Imperatoria *tutelarum illustrium, Veniæ impetratione & legitimatione personarum illustrium*, aliisque eo pertinentibus actibus, in medium communiter adducitur. Confirmationis Imperatoriae, ratione tutelæ Principum, illustria exempla attulit Dn. Stryk. *Diff. de tutel. matern. Princ. Cap. 3.* Nihilominus adfunt multa exempla, ubi confirmatio illa nunquam petita est. Sic Electrix Bavariae Maria Anna, nomine pupilli Reccessi de 1674. subscripsit per legatum, nihilominus confirmationem Imperatoriam nunquam petiit. Paria exempla in Domo Hassiaca & Anhaltina. Imo haud pauci tutores illustres vel non petunt confirmationem Caesaream, vel petitam ex Cancellaria Imperii non redimunt, Man lässt sie una ausgelöset liegen! de quibus testatur *alleg. Diff. cap. 3. §. 13.* qua etiam nec opus videtur, quamdiu pupillus Princeps nullas cum alio Principe controversias habet. Nam Legati Tutorum nomine Pupilli ad Comitata, si de cetero plenissimum mandatam a Principali suo offerant, ad productionem confirmationis Caesareae non solent compelli. Dn. Stryk. *laud. Dissert. cap. 3.* Idem dicendum de veniæ ætatis petitione. Postquam enim inter Publicistas invaluit opinio, Principes inter se uti jure privatorum, exinde non potuit non fluere conclusio: Ergo ante XXV. ætatis annum Principes non sunt majorennis & idonei ad regimen, nisi per privilegium brevius spatium impetrarunt, quales Domus nonnullæ habent, quas recensent Limnæus de *Jur. Publ. L. 3. c. 7. n. 41.* Myl. ab Ehrenbach. de *Stat. Imper. P. I. c. 27. §. 6.* Interim si Princeps in suo territorio ante completum terminum 25. annorum habenas regiminis capessere vellet, quis ipsi hoc negare vellet aut posset? Interim si in toto Imperio pro Majorenni Principe haberi cuperet, consultum est, veniæ petitionem impetrare ab Imperatore. Atque  
huc

huc pertinet Diploma veniæ ætatis, quod 1693. Invictiss. Imperator Leopoldus, Eberhardo Ludovico Duci Wurttembergiæ, decimum septimum ætatis annum agenti, concessit. Quamvis enim jure Civili privatis ante 20. annum veniæ impetratio concedi non soleat, in personis illustribus tamen etiam intra annum XX. fieri potest. add. Dn. Schilt 7. P. Lib. 1. tit. 13. §. 7. Dn. Ringler *de tutel. illustr. cap. 1. §. 3.* Eandem veniam impetravit Sereniss. Dux Megapolitano-Sverinensis; Fridericus Wilhelmus 1692. 17. ætatis anno, ut & Sereniss. Marchio Brandenburgico-Onoldinus; Georgius Fridericus 1694. 16. ætatis anno. De Legitimatione Imperatoris solenne exemplum extat in Comite Oldenburgensi Antonio, qui ab Imperatore Ferdinando III. legitimis natalibus donatus, atque in Comitibus Ratisbonensibus 1654. S. R. Imperii Comitibus titulo decoratus est. Vitriar. 7. P. L. 3. tit. 2. §. 13.

§. XXI. Superfunt adhuc alia jura reservata quæ Imperator exercet per Imperium. Sed quia exigua sunt & minoris momenti, solum illa concedi hominibus privatis, interdum etiam Academicis, uti *Hallensi & Kilonensi*; & tunc illa nomine Imperatoris, in Statuum territorii in actum decedunt. Vocantur vero hi, qui tali potestate gaudent, *Comites Palatini Cæsarei Siciliæ*; *Hess-Græffii*; qui & interdum *Comites S. Palatii Lateranensis* dicuntur. Potestas cujusvis, modo amplior, modo strictior dependet a Diplomate vel concessione Cæsarea, quæ in casu obviente inspicienda. Conf. etiam *Mundius tr. de Comit. Palatin.* Sagittarius *tr. ejusd. tit. aliq.* Plerumque potestas eorum consistit in creatione Notariorum, legitimatione spuriorum, ubi tamen raro solet concessio extendi ad legitimationem spuriorum Baronis, Comitibus, multo minus Principis. Dicis: Quid causæ, cur non Principes Notarios creare possint, cum tamen multa splendidiora Officia largiantur? Fateor, Principes posse etiam Notarios constituere, legitimare & reliqua exercere. Imo exercent etiam, dum haud pauci hodie legitimationem a Principe, in cujus territorio recipi cupiunt, impetrare solent, qui & propterea ad officia sunt admittendi. Interim tamen ex opinione inveterata, illi actus extra territorium non valent, quamvis leges humanitatis & mutua benevolentia Statuum hoc omnino jubeat ac faveat, & fieri potest, prout sunt aspectus rerum præsentium, ut Germania etiam hic patitur mutationem. Hinc creatio Notariorum & legitimatio, item graduum collatio, quia sunt actus transeuntes, h. e. quorum vis in multis territoriis debet esse efficax, consulo tolerantur ut & qui nomine Imperatoris talia expediunt, hujus enim autoritas, quæ pondus largitur Comitibus Palatinis, extendit sese in hisce per totum imperium, ita ut Notarii Cæsarei documentum, cæteris paribus, ubique pro valido habeatur. Illud vero miratur merito illustr. Dn. Strzykius in *Not. ad Lauferbach* p. 631. qui fiat, quod hæcenus Notarii in suis Instru-


is Instrumentis solum nomen Imperatoris regnantis, & non simul Principis, in cuius territorio degunt, nomen titulumque præmittant conjungantve, cum tamen quilibet Princeps in suo territorio Imperator sit & appellari gaudeat, & hoc ad Principum potestatem simul indigitandam faciat.

§. XX. Refert porro Vitriarius *Inst. Jur. Publ. Lib. 2. tit. 2. §. 17. 28. 29.* alique ad Imperatoria reservata (1) Jus famæ restituendæ subditis Statuum, (2) Juramenti relaxandi (3) literas moratorias sive quinquennales largiendi, quibus Dn. Schvveder. *Jur. publ. part. spec. sect. 4. c. 10. §. 5.* addit (4) jus largiendi exteris facultatem conscribendorum militum. Verum cum hæc jura non possint non impingere in superioritatem Statuum territorialem, in Instrumento pacis notorie iis concessam plenissime; valde dubitare liceat, an Status, maxime potentiores, talia in suis territoriis æquo animo sint laturi. Idem dicendum de Jure *Albergaria & Apertura*, quod in Statuum territoriis Imperatori vindicat Vitriarius *J. P. Lib. III tit. 19. §. 25. 1000. 101. sequ.* Consistit Jus *Albergaria* vero, quod ex Italica lingua in latinam corruptum est, in Æculentis & potulentis præstandis Domino transeunti. Verum cum Status sua territoria jure proprio possideant, & Imperatoris pro pleno Domino non recognoscant, facile inde judicari licet, magis Civilitatis hoc esse, quam juris, si Status talia exhibeant. Jus *apertura* itidem, sive ut ipsi transeunti claves Castri offerantur, & undiquaque liberum transitum habeat, ex eadem lege humanitatis, non vero ex necessitate juris proficiscitur.

§. XXI. Plane vero ad Reservata Imperatoria non pertinet jus investiendi, jus proponendi in Comitibus, quæ Dn. Schvveder. *Jur. Publ. part. spec. sect. 1. c. 9. §. 19.* solenniter huc refert. Illa enim jura Imperatori non negantur, sed non ut reservata Competunt enim ipsi ceu Capiti Imperii. Jam vero indoles collegiorum ita fert, ut semper primarius habeat jus proponendi. Idem dicendum de Jure Investiendi, quod ab ipso sit nomine Imperii, quia ille caput Imperii est.

§. XXII. Superfunt adhuc jura circa quarum constitutionem in Imperio Imperator concurret, sed non solus. Ad nonnulla enim consensus Collegii Electoralis necessarius est; ad pleraque reliquorum Statuum.

De prioribus *Dissertatione de Collegio Electorali* sequenti, & de reliquis, suo loco agemus.




Halle, Diss., 1707 (Br/R)

ULB Halle 3  
001 513 001



Sb







Inches  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

1701 15 27.  
6

Q. D. B. V.  
ATIO JURIDICA  
DE

ATORIIIS  
ERVATIS,

Quam  
AGNIFICENTISSIMO,  
PRINCIPE AC DOMINO  
DN.

DERICO WIL-  
ELMO,

ELECTORATUS BRANDENB.  
CIARUM HEREDE &c.&c.

CADEMIA FRIDERICIANA  
A E S I D E

BRUNNEMANNO

m Licentiato,

e. MDCCI. H. L. Q. C.

n disquisitioni subjiçit

GUSTUS de LAUTENSACK,  
s Brunsvicensis.

PH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.

KOENIG  
UNIVERS.  
ZVHALLE